



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. III. Quid Crvx, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT III.

*Quid CRVX, & quotiuplex.*Multæ tribulationes iustorum. *Ps. 33, 20.**Non lignum, signumve, CRVCIS modo nomine dignum,**Ast animum quidquid discruciare potest.*

COVIESCEBAT Staurophila
sermoni quem dixerat IESVS:
sed porro etiam instrui volens,
Quia cœpi, inquiebat, loquar
ad Dominum meum, cum sim

cinis & puluis. Dic, obsecro, ancillæ tuæ:

Quid vult sibi hoc verbum, Tollat CRVCEM Chrysoft.
suam? An vt lignum vnusquisque nostrum Hom. 1.
ferat? aut cum Christo crucifigatur in ligno? De adorat.
Crucis


Quasi vna de stultis mulieribus, inquiebat Tom. 1. in
Christus, locuta es, non intelligens Scriptu-
fine.
ras. Nec enim CRVX Christiana solum li-
Iob. 2, 10.
gni est patibulum, sed vitæ virtutisq; propo-
August.
situm. Tota vita Christiani hominis, si secun-
Serm. 32.
dum Euangelium viuat, CRVX est atque mar-
de Sanct.

tyrium. Fuerunt autem, Staurophila, fimiles
tui districtissimi quidam monachorum, habentes
Cassian.
Collat. 8.
quidem zelum Dei, sed non secundum scien-
cap. 3.
tiam; qui simpliciter intelligentes illud, Qui

non

16 REGIÆ VIÆ CRVCIS

Multæ tribulationes iustorum. Ps. 33, 20.



Non lignū, signūmve, CRVCIS modò nomine dignū,
Ast animum quidquid discruciare potest.

non accipit CRUCEM suam, & sequitur me, non est me dignus, fecerunt sibi CRUCES ligneas, easq; iugiter humeris circumferentes, non edificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Hos Serenus Abbas reprehendit, tamquam qui sequerentur occidentem litteram, non viuificantem spiritum. CRUX enim, quam baiulare iubeo, non illa tantum dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione constructa est; sed illa etiam, quæ totius vite curriculo, cunctarum disciplinarum virtutibus captatur. Numquid enim omnes Martyres, qui secuti sunt me, crucifixi sunt? Numquid omnes Virgines, quæ, iuxta Apocalypsin, sequuntur Agnum Dei, crucifixæ sunt, ut sequantur? Numquid Apostolus Paulus crucifixus fuerat, cum dicebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in CRUCE Domini nostri Iesu Christi, per quæ mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? Susceptio ergo CRUCIS aliud nihil est, quàm interfectio cupiditatum, occisio vitiorum, declinatio vanitatis, & abdicatio omnis erroris.

August. citato Serm. 32. de Sanct.

Apoc. 14, 1

Gal. 6, 14.

*Leo Ser. 20. de Resurrect.

Video, inquit Staurophila, veritatis luce absterfum meum errorem. Sed enim (pace tuâ liceat hoc quærere) nihilne meriti, qui ex simplicitate ligneam circumferebant CRUCEM, acquisierunt? Quid ni? inquiebat Christus, si tam piè simplices fuerint, ut hoc ex præscripto meo faciundum putauerint.

B

Si

Matth. 6,
22.

Ex Raderop
part. 2. Vi-
ridarij SS.
cap. 5. &
& Petro
Equil. in
Catal. SS.
lib. 5. c. 78.
Vide Bæ-
ron. anno
Chr. 1094.
in fine.

Si enim oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si bona intentio, totum corpus actionum, quod ex illâ procedit, non nisi bonum erit. An non legisti, fuisse aliquando Nicolaum quemdam peregrinum Staurophorum, qui rebus mortalibus spretis, Deo se initiauerat in religioso S. Lucæ monasterio. Hic, iactis veræ pietatis fundamentis, cum illam vocem sæpius audisset, quâ me secuturi iubentur CRUCEM tollere, ratus se præcepto non satisfacturum, nisi fabricatam è robore molem CRVCIS in humeros inijceret; relicto suorum coetu, peregrinationem sublatâ CRUCE suscepit, venitque Hydruntum, inde Tarentum ac Tyrheniam, ibique vectans humeris solitam CRVCIS trabem, coëgit puerorum coetum, obijtque sacra vrbs templa, assiduò solemniter sibi ΚΥΡΙΑΙΣ ΕΞΕΝΟΣΟΝ clamitans, globumque puerorum ad easdem voces iterandas inuitans. Fuit hæc illius simplicitas, aliis irrita profaniâ, aliis pro summâ pietate culta. Delata tandem res ad Episcopum, qui obiurganti similis, quærit cur urbem tantis clamoribus impleat, quid id sibi velit. Domini, inquit ille, præcepto obsequor, uti eius exemplum sequar, & CRUCEM non animo tantum, sed corpore etiam & humeris, ut ipse tulit, circumferam. Quòd si tibi molestum est, &

me

me exequi mea vota prohibes, alias vrbes oppidaque petam.. Sensit, interim cautus Præsul hominem minime malum; imò sanctum arbitratus, Ego verò, inquit, nihil impedio quò minus cœptum viuendi genus profequare. Accedas etiam ad meam quotidie licet mensam, vt commodius pietatis studiis vacare possis. Grata fuit hæc Nicolao pij Pontificis clementia, sed intra paucos dies febriens, citato comitatu suo, pueris inquam frequentibus, CRUCEM suam velut amplissimum patrimonium quasi testamento tradidit, omnibusque benè precatus, ad cælestem Imperatorem profectus est. Quàm verò mors eius fuerit pretiosa in conspectu Domini, crebra per eum beneficia mortalibus impetrata docuerunt. Hoc habuit bonus ille, de bonâ intentione præmium. Sed, vt dicere cœperam, dum CRUCEM ferre iubeo, non lignum, sed quidquid molestum est tolerare præcipio. CRUX enim à cruciatu dicitur, aut certè cruciatus à CRUCE. Tollere ergo CRUCEM, est ferre quidquid molestum est, ac cruciat. Tollere CRUCEM, est tolerare in mundo pro nomine meo, quidquid intulerit mundus. *Siquidem & animi ad mortem pro me subeundam alacritas, & membrorum quæ sunt super terram mortificatio, & illud quòd quis libenter se cuius impendenti pe-*

Bernard.
Scm. in
Vigilia
S. Andree.

Basil. in
Reg. fus.
Interrog. 6.

*August.
Serm. 47.
de Diuers.

riculo offerre pro meo nomine paratus sit, & nullâ de rebus vite huius affectione tangatur, hoc nimirum est tollere CRUCEM suam. * Si ergo minas, siue blandimenta, siue quaslibet prohibitiones, si sequi vis, in CRUCEM verte tolera, porta, noli succumbere.

Tacebat Staurophila, conferens in corde suo verba sapientissimi Magistri; cum Dominus rursus, Et vis, inquit, ô filia, plenius cognoscere, quam non vnica CRUX fit quam tollere iubeo? age semitam hanc, qua ad dexteram est, mecum perambula, & ostendam tibi totum Staurophylacium Patris mei, capacem, inquam, CRUCIVM OFFICINAM, quas electis distribuit prout vult. Sequebatur illa promptissimè, & gestiebat CRUCIVM genera suis distributa classibus cernere. Ibant ergo pariter, cum ventum tandem ad montem duplici colle distinctum, vndique CRUCIBVS, ceu proceris arboribus, consitum. Et Ecce, inquit Christus, hæc illa CRUCIVM supellex, in salutem humani generis destinata. Viden' supremum illum collem, vsitatis & propriè dictis CRUCIBVS exornatum? Et agnoscis, credo, primo loco meam illam CRUCEM, spineâ coronâ redimitam, lanceâ & spongiâ hinc inde cinctam. Principem enim locum obtinere debuit arbor illa nobilis, supra omnia li-

gna

gna cedrorum excelsior, in quâ ego, vita mundi, pependi, & mortem superavi. Agnosco, inquiebat Staurophila, instrumentum salutis publicæ, *trophæum contra potentiam diaboli, & principium condemnationis eius.*

S. Ignat.
Epist. ad
Philipp.

Sed dic, quæso, quænam altera illa CRUX, tuæ non admodum dissimilis, nisi quòd inuerfa? Hæc, inquiebat Christus, Apostoli mei Petri est, qui & ipse CRVCIS LIGNVM degustauit, sed *ad instar magistri in recto schemate crucifigi recusauit, rogans ut inuersis vestigijs figeretur, tamquam in calum viam à terrâ faciens.*

Chrysost.
Orat. in
Pet. &
Paul.

inquiebat Staurophila, quæ reliquæ CRVCIVM species. Quid opus? inquiebat Christus. an non cernis decussatam illam? Hanc *Andreanam vulgò dicitis, validâ & satis veteri famâ, diuum istum in eâ cruciatum.* Iam hinc veterum furcam, inde Iaponum CRVCEM spectas: reliqua nota hodieque apud vos patibula.

Vide Lips.
lib. 1. de
Cruce c. 7.

Sed enim, inquiebat Staurophila, auct animus inferioris ordinis CRVCEs cognoscere: video enim varia illis adjungi symbola, quæ sine dubio mysteriis foeta sint. Illæ etiam, aiebat Christus, referunt varia cruciatuum genera, quibus aut corpus, aut animus hominis, aut vtrumque torquetur. Et quidem CRUX illa, cui cor gladio transfixum hæret, interiorem CRVCEM significat, quæ mentem

validè excruciat. Hæc CRVX beatissima

Luc. 2, 35. Matris meæ, cuius animam (vt Simeon prædixerat) pertransiuit gladius. Hæc & Apostolus ille affligebatur, qui dicebat: *Tristitia*

Rom. 9, 2. *mibi magna est, & continuus dolor cordi meo.*

Gregor. Hæc compassionis CRVX dici potest. *Quoniam enim dolorem exhibet in alienâ necessitate,*

Hon. 7. in Euang. CRVCEM portat in mente. Ad hanc CRVCEM sollicitudines, curæ, ægrimonix, mœores, angores, scrupulorum aculei, animi de-

iectio, desolatio spiritualis, tædia, aliaque his similia sine dubio pertinent. Grauis hæc planè afflictio, vt testabatur ille qui clamabat:

Pf. 87, 2. 4. *Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te: quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.* Ita est, inquiebat Staurophila, supremum enim malorum arbitratur animus, qui offensum sibi suspicatur misericordiarum Patrem, & Deum totius consolationis.

Sed pergat, quæso, Dominus meus alias ex ordine CRVCEM explicare. Subiunxit ergo Dominus: Illa, quam vides gladiis, fustibus, catenis, laqueis, compedibus, virgis & flagellis decoratam, varia Martyrùm meorum supplicia designat. Quanta enim passi sunt tormenta, vt securi peruenirent ad palmam martyrii! nam *ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres; lapidati sunt, secti*

Hebr. 11,
36.

secti sunt, tentati sunt; in occisione gladij mortui sunt: & quid non pertulerunt in mundo, quibus dignus non erat mundus?

Morborum CRUCEM non difficulter agnoscis, quæ non utilis modò, sed subinde etiam necessaria. Israëlita sani obliuiscabantur Dei; at ubi *multiplicata sunt infirmitates eorū, postea accelerauerunt.* * Et cum Deus *occideret eos, reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Quam multis infirmitas corporis mentis præstitit sobrietatem! *In-* Eccli. 31, 2.

firmitas enim grauis, sobriam facit animam. Quare morbum nihil aliud esse credas, quam *utilem quamdam institutionem: hoc est, ut &* Nazianz. Epist. 70. *corporea omnia, & quidquid fluxū est & caducū asperneris, & totum te caelesti parti addicas.*

CRUX verò illa, cui lignea scutella & mendici adiungitur crepitaculum, paupertatis insigne est. Quis enim nesciat, hanc quoque virtutis instrumentum, si quis eo rectè norit uti? *diuitiarū acquisitio laboris, possessio* Bernard. de Conuers. ad Cleric. cap. 12. *verò timoris, amissio plena doloris inuenitur: diuitiæ cum amantur, inquinant; cum habentur, onerant; cum minuuntur, cruciant.*

Sed quid sibi, aiebat Staurophila, vult feretrum illud quod ab alterâ conspicio parte? Id afflictionem eam, respondebat Christus, designat, quæ ex parentum & consanguineorum contrahitur morte. Sustinenda &

hæc æquo animo ; quia etsi durum amitte-
re charos, tolerabile tamen ; quia sustulit il-
le, qui dederat, bonus Deus. Et quantis pro-
fuit amicis carere, qui dum viuerent, à Deo
auocabant ! Hæc audiens Staurophila, oculo-
los in stulti cucullum conuertebat. Sciens
autem Christus, quod eum vellet interro-
gare, Video, inquit, mirari te hoc stultitiæ
schemata, nec satis assequi quid illud sit. Gra-
uis hæc, filia, CRUX est irrisio, contem-
ptus, ac ludibriorum ; quâ veri patientes
non horrent stulti audire propter me : nec
quidquam est quod ita hominum mentem
perturbet, quàm despectui haberi. Multi fan-
tè cupiunt Deo seruire, sed cum hominũ laude
& fauore, & periq; humilitatem amant sine
humiliatione, volentes eam sine honoris mun-
dani exercere iactura, & absque ullius exaspe-
ratione conuicti, patientiæ gratiam possidere.

Cassian.
Colat. 4.
cap. 12.

Gregor. in
Euang.

Sed quid hoc derisum, aiebat Staurophila,
quod video subsannantes digitos, & ex-
spuentium ora ? Illud nimirum, respondebat
Christus, non deesse seruis meis, quorum vi-
tam mundus æstimat insaniam, contume-
lias, detractioes, probra, mendacia, iudicia
temeraria, & alia huiusmodi, quorum vber-
rima ubique seges ; tam derisoribus noxia,
quàm verè patientibus vtilissima. Hos enim
eligit Deus, quos despiciunt mundus ; quia ple-

rum-

*rumque ipsa despectio hominem reuocat ad se-
ipsum. Optimè ergo Apostolus meus mo-
nuit, Deo seruiendum per gloriam, & igno- 2. Cor. 6, 8.
bilitatem; per infamiam, & bonam famam; vt
seductores, & veraces. Fasciculus verò mul-
tarum CRUCIUM simul ligatarum, id deno-
tat, plures subinde afflictiones simul in vnum
incurrere hominem, Deo ad eius salutem
id permittente, atque etiam immittente.*

CAPVT IV.

*Quodcumque CRUCIS genus Christum
culisse.*



TV EBAT non parum Stau-
rophila, audiens multiplices
CRUCES vni aliquando desti-
nari, & Mi Domine, aiebat,
vel vnica ex commemoratis
CRUCIBVS satis profectò fuerit ad validum
hominem deiiciendum; ecquis ergo con-
geriem aliquam sustineat? Quid est quod
loqueris? reponebat Christus. numquid
considerasti seruum meum Iob, quanta susti-
nerit, & quot in eum simul irruerint CRV-
CES? Armenta enim primò sublata, liberi
deinde ruinâ domus oppressi, percussus ipse
vlcere pessimo vsque adeò, vt sedens in ster-

B s. . . qui-